Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3347
Quelle:
Copyright:

vita. Filius quoque qui patri regno successit — post patris exequias et religiosissima funera occupatus plurimum in nouo regimine — distulit hactenus suos oratores mittere &c. Non invenio in editis Concilii Actis.

XXVII. *fol.* 308. p. 2. Oratio *Anonymi* prolixa, habita, ut videtur, anno 1437. circa tempus *Sessionis* XXV. Synodi *Basileensis*, dum de loco futuri pro *Graecis* Concilii deliberaretur. Initium: *Magne sepe res atque ardue patres Reuerendissimi in hoc sacro Concilio versate tractateque sunt* &c. *Papiam* suadet Orator *Venetiis*, *Florentiae*, aut quibusvis aliis Urbibus praeferendam, de qua inter alia: *Est profecto illa urbs splendidis commodissimis ornata domibus. — Hic moderni genitor ducis* (Philippi Mariae) *cohabitauit princeps omnium sua etate consultissimus, hic curiam continuo tenuit, quam magni domini, omnisque fere nobilitas ytalie sequebatur, ob quam rem multa ingentia palacia et amplissime sunt edes edificate curiales. — Illic palacium est, quod castellum appellant, ingenti fossa circumdatum, de cuius amplitudine illud retulisse sufficiat, quod augustalis pontificalisque aule capax existimetur. — Vino preterea cunctisque edulibus adiacens patria maxime habundat. — Quidquid abest, Ticini flumen aduectare potest. Sed quid hic immoror. Insubres, ut scitis, populi nunquam externo tritico victitarunt, sed suum ipsi ceteris prouincijs subministrarunt, quo fit, ut summam semper in papia victualium copiam sitis habituri, nec aliquis uobis italus pro minori precio victum dabit. — Quod tribus denarijs alibi emetis, duorum hic denariorum precium habebit* &c. Digna sane tota lectu est Oratio, nec, quod sciam, edita, id, quod et de sequenti, quae *Codicem* terminat, Epistola censeo.

XXVIII. *fol.* 321. p. 2. *Sacrosancte generali sinodo basilien. in spiritu sancto legitime congregate vniuersalem ecclesiam representanti Eduardus dei gratia regnorum portugalie et Algarbij Rex cepteque dominus* &c. *Grande desiderium vehemensque cogitacio boni tocius christianitatis, presertim pacis atque concordie* &c. Petit, ut Synodus omni ope studeat bello inter Anglos, Gallosque finem facere. *Datum In villa de turribus veteribus* (Torvedra) *X. die mensis septembris anno a natiuitate domini M°. CCCC°. XXXIII.*

Non exigui momenti sunt haec *Actorum* Conciliarium *Basileensium* Λειψανα, cum ad emendationem eorum, quae jam typis publicata sunt, tum ob complura ἀνεκδοτα, quae an suis in Collectionibus *Hermannus von der Hardt* et *Steph. Baluzius* censuerint, dicere non habeo.

DCCCCLXXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Foll. 295. f. a diversis conscriptus, sed foliorum numeris jam primitus insignitus sequentia complectitur. I. *Vtrum liceat ecclesiam*

291